
ANONYMI SÆCULI VIII.

I.

INCERTI AD PIPPINUM REGEM EPISTOLA.

(Ex Duchesn., Hist. Franc. Script.)

Domino clementissimo et a Deo electo et sublimato, Pippino regi quam magnificentissimo, ille humilis servus, et clientulus vester, oratorque per omnia sedulus, per hanc epistolam vestram magnitudinem in Domino dominorum opto et mitto sempiternam salutem.

Gratias itaque ago omnipotenti Deo, summa cum prosperitate in servitio domini mei perveni, receptusque ab eo solita benignitate illius in presentia gratosus consisto. Multa namque ab eodem piissimo rege melliflua verba de vestris partibus inquisitis fui, sed in cunctis exquisitionibus quibusque libenter audiri merui. Talibus omnipotens mihi ministravit responsis, quæ animum illius velut suavissima melodia, ac sacræ iucunditatis gaudio irrigarunt. Et ideo ineffabilis illius clementia erga excellentiam vestram, sicut dignum est, optimam habet voluntatem. Quoniam vero omnia quæ dicta sunt ille servulus vester viva voce vobis potest narrare, fuerunt quidam expares, quos et amicos habere putabam, pectore venenoso currentes, antequam venissem, meam conati sunt accusare miseriam. Sed ille qui cunctorum novit occulta, misertus est famulo suo, eorumque machinamenta magis juvare cœperunt quam aliquem dolum inurerent. Cuncta vero quæ late-

tere coram cunctis principibus, idem ipse clementissimus rex mihi famulo suo dignatus est clementer narrare, quod, et hæc omnia, præfatus ille vestris in auribus prudentius potest referre. Habere autem illum unum ex veris amicis, et fidelem servulum, non dubitetis, quia in quantum mens illius prævakuit, de profectu vestro in gloriam coram domino nostro viriliter certare studuit ille noster, quem uti anima mea in vestra diligebam amore, non erubuit nece mea suas examinare sagittas: et saltim de parte mea in regis presentia verba non vera jactare. Sed ille qui iniqui Achitophelis ad nihilum redegit consilliam, voluit et ejus subito conterere nequitiam, et gratia Domini potius ut dignus essem mihi benignus concessit. Habeo enim ego servulus vester dispositum, ut missum meum citius cum potuero in vestro dirigam servitio. Sed nunc de presentie pro benedictionis causa per illum dirigo vobis munuscula parva, non tamen parvo voluntatis affectu, id est cusinos 11. eos vultu serenissimo respicere digneris. Commendo me, omnesque rex sancti il. ac nostras, et cunctis parentibus nostris servulis vestris sub defensione aliarum vestrarum multis feliciter annis quæso Deu. serenitati vestræ. Confestim cum hunc recensitum habueritis indiculum, igni ad devorandum trademini. *

II.

EPISTOLA MONACHI AD ABBATEM.

Charus charissimo, dilectus dilectissimo, filius in Christo Patri, il. ille humilis illi abbati in Domino sempiternam salutem.

Duo enim simul nostro versantur in animo, admiratio videlicet et tristitia. Quare? quia postquam a vestra dilectione corpore, non mente, separati sumus, neque per missum, neque per mellifluos apices vestros, de desiderabili prosperitate vestra, quam Deo teste semper audire et videre desideramus, certi effici meruimus. Notum igitur sit sapientia vestræ, quoniam v Kalend. Augustas saumas nostras partibus palatii dimittere dispositum habemus, et postea propter opus Ecclesiæ tres dies sta-

re, easque festinanter deinde Domino auxiliante sequi volumus: ea videlicet ratione, ut xviii Kalend. Septembris ad Magantium esse possimus. Nam si vobis placuerit, sicut dispositum habetis, ut per nos veniatis, tunc secundum voluntatem vestram iter nostrum disponere habeamus. Nulla enim causa est, exceptis his quæ per nullum ingenium mutare possumus, quæ voluntatem vestram, in quantum Christo auspice valemus, nobis dimittere faciat. Fuimus namque ad locellum vestrum in loco qui dicitur il., ipsum mansum consideravimus, ibique nostrum repastum ex nostro adducere præcepimus, et una cum nostris vestrisque fidelibus in amore